

via sic stricta, quod equum vertere nec ultra procedere potuit, fratricide^g obviavit^h; arrestatisⁱ equis et suo et cuiusdam alterius de contra pergentis sistere^j quisque cepit. Quem dum esse Iohannem inimicus obuius agnovisset, concito descendit, arma deponit et cruce sancta brachiis flexis genibus totus resolutus in lacrimis Iesu Christi amore morientis salute nostra crucis patibulo misericordiam flagitavit.

Ad collegas Iohannes se vertit: „Hec est dies, quam optavi pre omnibus huius vite“, asseruit, „et iccirco nullus eum tangat, sed me saciari potatione sui permictat sanguinis“ exoravit, ignorans quod aliud ex hoc divina providentia ordinavit. Equo descendit, super eum gladio evaginato ruit, gorgieriam ferream manu capit, ut secare^k inimici gule venas gladio^l possit. Brachia in terra prostratus non movens filii dei amore ut sui misereatur dicere fletu et clamore maximo non secludit.

O mira pietas! Lupus in agnum mutatus gladium omnibus mirantibus proicit, manu benigne^m fratricidamⁿ sumit^o, in^p monasterium Miniatis martyris^q antedicti pergit, ante crucifixi ymaginem arma sui capitis abicit et inimici stupefacti ad mortem manum tenens, fletu inremediabili, flexis genibus, erectis in Christi figuram oculis omni suavitate dicere incoavit: „Domne Iesu Christe, hic meum germanum sine causa, ut nosti, occidit; pre cunctis huius vite saciari eius sanguine petii, in meam potestatem te permittente nunc habui. Facto signo tue amantissime passionis, fletu multo sibi misereri petivit. Cuius votis tuo amore assentio, pacis tua presentia osculi signo intervenienti sibi reddo, servaturum hoc sibi^r perpetuo ex nunc tibi promicto; et ut vadat, quo vult, liber et tutus sicut, quem occidit, faceret frater^s meus^t, tui amoris gratia sibi dono“.

Confestim hiis cunctis videntibus commilitonibus suis astantibus more regrantantis divina^u crux versus eum tota inclinata^v se vertit et sic longis temporibus inclinata^w permansit^x. Qui ut vidit in clamorem ruit, abbas et conventus accessit, et post eos toti civitati et provincie manifeste cernentibus notum fuit.

g) von zweiter Hand am Rand. h) actestatis. i–j) von zweiter Hand am Rand.
 j) secaret. k) gladium. l) auf Rasur. m) von zweiter Hand auf Rasur.
 n–o) von zweiter Hand am Rand. o) von zweiter Hand eingefügt.
 p) von zweiter Hand am Rand. q) auf Rasur. r) von zweiter Hand am Rand.
 s) inclinata von zweiter Hand auf Rasur.

³⁾ Petrus Damiani erzählt op. 40 (Migne PL 145, Sp. 655) die Legende vom sich verneigenden Kreuze aus Deutschland. Ein Kreuz, welches damit identifiziert wird – mit höchst zweifelhaftem Recht –, befindet sich seit 1671 über dem Hauptaltar von Sa. Trinità; vgl. R. D a v i d s o h n, Geschichte von Florenz 1: Ältere Geschichte (1896) S. 829.